R. G. ADAMS

Questo libro composto di libretti trentanove ha un gran valore. Il suo più gran pregio consiste nella lettera di Cristoforo Colombo in lingua Spagnola.

Thomas Randolph Adams

The John Carter Brown Library

GIFT OF

Thomas R. Adams

The John Carter Brown Library

GIFT OF

Stephen B. Adams

98-106-5

PROSOPOPEIA AMPHITHEATRI VERONENSIS.

AD NICOLAVM BARBADICVM PRAETOREM.

VERONAE.
Apud Sebastianum, & Ioannem a Donnis fratres.
M. D. LXXV. 70

RPJCB

PROSOPOPEIA
AMPHITHEATRI
VERONENSIS.
AD NICOLAVM
BARBADICVM PRAETOREM.

VITALES postquam genitor me carpere uidit
Auras, & totum forma splendescere corpus;
Sorte sua lætus natum tollebat in astra;
Et meritos aris Diuûm imponebat honores.
Noscere sed cupiens, quænam me fata manerent,
Solicitus fertur longæuam adijsse Sibyllam,
Taliaque attonitus uatis responsa tulisse.
Stant uariæ rerum sortes, & plurima nato
Impendent caro, possint quæ gaudia tanta,
Et turbare diu, & uotis obstare parentis.
Nanque uenustatem ueniens mirabitur ætas;
Et molem eximiam, cuneos, caueamque patentem;
Totque foros celebri constructos arte, gradusque.
Commodiore loco nullus spectacula plebi
Indicet, uarioue oculos certamine pascet.
Ampla satis forma excipiet quoscunque benigne:
Pro ratione etiam diues, pauperque sedebit.

Hic nemo demet prospectum corporis ullo
Obiectu; impedietue alium, dum spectat arena
Emissas uolucres, pueris pugnataque poma.
Rupibus excisos lapides, congestaque saxa
Sumptibus immensis, exertaque uiscera montis,
Fluminibusq; uiam patefactam tramite longo,
Suspensus dicet secum, quicunque uidebit;
Eccelsam hæc mentem referunt, animosque uiriles.
Inuentum artificis quis non miretur, & illud
Laudibus extollat, cum possit scandere uelox,
Si quem detineat spectandi magna libido?
Ascensum facilem, scalæ sint, quæ dare possint,
Et iuuisse uiros, retinet quos tarda senectus.
Sint loca, si quando largum demiserit imbrem
Iuppiter, in quæ confestim se condere possit.
Denique qua cinctus, tunicam, stat, flumina Nili
Qui bibit, atque Arabes uenient, uenientq; Sabæi
Spectatum, celerique gradu se conferet Indus:
Vnde sibi laudem præreptam Roma dolebit,
Et lacrymosa tuos forsan spectabit honores.
Quot tibi tunc hilari mulcebunt gaudia mentem?
Huius enim gremio plebemque, equitesq;, patresq;,
Excipier lætus cernes, plaususque dabuntur;
Et nitidum corpus spirabit balsama passim.

Præ-

Præbebunt nixus uenantum gaudia magni;
Seu celeres retrahent interdum corpus ab ictu,
Terribiles tauri ualde exardentis in iras:
Cornea siue petent rigido uenabula ferro
Rhinoceróta, Vrsumque grauem, ualidumq; Leonem.
Hoc duce quinetiam poterit struxisse iuuentus
Belligeras acies, & stabunt æquore moles:
Martia gens unde Hesperiæ protendere fines
Discet, & extremis latè dominabitur oris.
Ast miser inuidiæ telis, heu, deinde petitus,
Ausaque magnanimi fatis remorantibus, ille
Mutata rerum facie in mœrore iacebit.
Barbara progenies furijs accensa, repente
Irruet, & flammis corpus fœdare decorum
Audebit, tentans membris diuellere membra.
Mox cupida irrumpens crudelis mente tyrannus,
(Proh scelus indignum) perget prosternere, quorum
Auxilio timidus munitas erigat arces.
Nescius hic, melius quisquis dominatur, amore
Iungere posse sibi ciues; tum rectius urbes
Defendi, in Reges si sit propensa uoluntas.
Ipsa etiam ingentem tellus tremefacta ruinam
Afferet, & misero excidium minitabitur atrox.
Durior hinc ætas ueniet, collapsa columnis

Quam decuit fulsisse nouis, hæc perdere nomen
Non uerita, illuuie turpabit cuncta; nec unquam
Impia desistet, quoad natum sordibus ipsum
Obruat, ut misero uix sit spirare potestas.
Quin uiolasse tuam meretrix audebit amore
Progeniem infando, dum prostat fornice cunctis.
Ante ora & nati tellus tepefacta cruore
Fumabit, cum sons disiectus membra iacebit:
Quod reputans secum, trepidus suspiria ducet;
Squallebitq; gemens, non hos eductus ad usus.
At bona posteritas, casum indignata dolentis,
Pectora contundet palmis, lacrymasque ciebit:
Quam tandem ex alto magnus miseratus Olympo
Iuppiter, æthereis demittet sedibus (omen
Sit fœlix, aderit rebus non asper egenis)
Qui cuncta ad primos solers reuocabit honores;
Secula quique malis homines uexantia, reddet
Aurea; & ex æquo librabit pondera rerum.
Vrbis summa quies; audebit sanguine nullus
Commaculare manus, tunc nec uiduata marito
Flebilis incassum iactabit uoce querelas.
Vrbe quoque annonam dabitur uilescere paßim
Cernere; & emporio frumenti copia stabit
Ingens; ui nulla collecta, sed arte, modoque,

Inuitos

Inuitos etiam ut dicas tribuisse libenter:
Dexteritas inerit, præstanti in rebus agendis
Præsidis ingenio moderandi tantus & usus.
Et ne etiam plebi seclis uenientibus unquam
Deesse queat miseræ; hoc ipso cohortante, bonorum
Ex animo, atque opibus conflata pecunia fruges
Hinc inde assidue uestram exportabit in urbem;
Multa huius uirtus præstabit laude perenni
Decantanda uiris; iustis hic legibus urbem
Rexerit; hinc eadem donis augebitur amplis.
Nec modo complexos ciues ornabit, & omni
Iuuerit is studio; sed toto pectore quæque
Suscipiet uigilans, urbi decora alta futura.
Atria quæ longum fuerint angusta, patebunt
Tunc ornata magis; necnon ex ordine auorum
Stemmata depicta agnoscent, fascesque nepotes.
Et quanquam interdum, Dijs permittentibus, urbem
Dira lues miseram uexabit, funere & atro
Vastabit, sternens pallentia corpora letho;
Non cadet hic animis tamen, aut formidine linquet,
Sed mage susceptum præclarè munus obibit.
AVSPICE te, factũ quod cũ uideamus, ouanti
Et mihi nunc liceat fatis melioribus uti;
Heroûm salue decus, ò spes unica lapsis,

O' salue

O' ſalue uenetum robur, uenetique ſenatus
Lumen, & ærumnis noſtris optata medela.
Perdiderat me inimica nimis gens barbara, magni
Me mihi reſtituit Barbadici inclita uirtus.
Eſt proprium hoc opus, & te, iuſto principe, dignum
Barbadice, uiros inter componere lites.
Id referent ſemper, quos tu miſeratus, agreſtes
Ciuibus unanimes iunxiſti, factus utriſque
Arbiter, & rixis potuiſti imponere finem.
Quod factum aſſenſu miro eſt utrinque probatum:
Sed quis te melius mentes uincire ſolutas,
Diſtractaſque odijs nouit conſtringere nodis?
Te decuit, ſontes meritis compeſcere pœnis,
Frugibus & largis plebem fouiſſe miſellam;
Quam non triticeæ eſurientem anguſtia meſſis
Abſumebat, peſtis ſed uiolenta necabat.
Nam cui res melior, lethalem auertere morbum
Cæperat, & tectis ſe ſe retinebat auitis;
Colloquia effugiens hominum ſibi quiſque cauebat.
Implicitam morbo & ne ſeſe urbs ulla uideret,
Vitâi ſtudioſa ſuis arcebat ab oris
Edicto uetitam gentem, expellebat & armis.
Vſqueadeo exitium cuncti, mortemque pauebant.
Vrbana interea deerant commercia noſtris;
Pau-

Pauperis hinc damnum, manibus, multoq; labore
Cum posset neutiquam inopem defendere uitam:
Quid faceret? forsan miserum perijsse iuuaret:
Ni faciat; malesuada fames quæ consulit, illa
Suscepisse uolet, tum se tutarier armis.
Omnibus occurris damnis, tu prouidus omnes
Respicis, & me animas, illos & tempore in uno
Faucibus ex orci mirè inuenta eripis arte:
Nanque opus egregium dum sedulus urget egenus,
Illuuie ut uacuum corpus mihi reddat ab alta,
Hunc cerere optata saturum dimittis; & huius
Artubus amissas uires languentibus addis.
Hoc NICOLAE tuis, hoc unum illustribus actis
Deerat, marmoribus quoque nunc esses pius; in te
Conuertunt oculos, quos nuper perdere pestis
Tentarat; te etiam spectat, quicunque tenebris
Admouisse, uidet, uigilantia lumina tantis;
Nec te non semper caput obiectasse periclis.
Illi etiam horrendo seruati carcere sontes;
Quosque diu in tenebris uitam, luctuq; trahentes
Infestis exercebat mors atra sepulcris;
Nunc (tua quæ pietas) spirant, uescuntur & aura;
Luminaque attollunt, cœli conuexa uidentque;
Et te delapsum cœlo, iustumque fatentur.

Cur

Cur ego non studeam, grates persoluere dignas?
Te gremio tenuisse uelim; iam gestio cunctos
Agnouisse fidemque tuam, numenque uerendum.
En tibi nunc niteo; nunc tollo brachia; per te
Detersus, dextroq; adiutus sidere, uiuo.
Ast tibi pro meritis quæ dentur præmia, cerne.
Sancta tibi populo ponuntur templa Parenti,
Funduntur q; preces, aris adhibentur honores:
Vera quidem pietas, fortunatique labores
In Diuûm referent numerum, nomenque sonabit
Perpetuo Nicolae tuum; præclaraque facta
Mentibus hærebunt nostris; semperque uirescent.
Interea ludos fas sit celebrare; iuuentus
Quos adoperta armis ferrata exerceat hasta.
Vndique concurrat populus seruatus, & intro
Ingreditur magnus dum Barbadicus, amanter.
Vos huic, ò Ciues, uoces, uos huic date plausus:
Quos ego iucunde ingeminabo, uoce, sonoque
Victoris feriet Nicolai sydera nomen.

DE NICOLAO BARBADICO PRAETORE.

Finge tibi aetherei radiantia sydera claustri;
Poma etiam Autumni mitia finge tibi:
Concipe nunc animo conspersas littore conchas;
Aut Hyblae flores quot legit agmen apum:
Nobilibus referent tot compensanda triumphis,
Quae Barbadico sunt benefacta domi.
Debita si quaeras huic nobis praemia, uasti
Adriaci fluctus te numerasse uelim.
Foelix Barbadice, tuis si terminus ullus;
Meta neque egregijs laudibus esse potest.

AD EVNDEM.

De peste in populum fuerit uictoria quanta;
Nomine fit clarum iam Nicolae tuo.

98-106-6

AD EVNDEM IN
Patriam reuertentem.

Alma Ceres, Pietasque, Salus, Astræaq; uirgo
In patriam comites sint Nicolae tibi.
His ducibus nostram rexisti prouidus urbem,
Peste, fame, expulsis dissidijsque procul.
Pande sinus Regina tuos, Regina patentis
Sceptra tenens pelagi, brachia pande tua:
Mortalem edideras Nicolaum mater, at ipsum
Excipe diuinum; candidus ecce redit.

FEDERICVS CERVTVS.

~~J595
N479s
V. I~~

J595
N479s
V.1